

suum, ut intus manens multiplicaretur, non ut foras exiens minueretur. Hoc vident recti, et jucundantur. « Omnis ergo iniquitas oppilabit os suum, » et qui est « Sapiens, custodiet hæc. » Unde custodiet? Per humilitatem, intelligendo miserationes Domini: quia ubique dictum est: « Confiteantur Domino miserationes ejus, et » mirabilia ejus filiis hominum. »

IN PSALMUM CVII.

Quare hoc loco non subjicitur Enarratio.

I. PSALMUM centesimum-septimum exponendum non putavi: quoniam jam exposui eum in Psalmo quinquagesimo-sexto, et in Psalmo quinquagesimo-nono, ex quorum postremis partibus iste constat. Nam postrema pars quinquagesimi-sexti¹, prima est hujus, usque ad eum versum ubi dicitur: « Et super omnem terram gloria » tua². » Hinc autem usque in finem, postrema pars est quinquagesimi-noni: sicut postrema pars centesimi trigesimali-quarti, eadem est quæ centesimi tertii-decimi, ab eo versu ubi dicitur: « Simulacra gentium argentum et » aurum³: » sicut tertius-decimus et quinquagesimus-secundus, mutatis aliquibus mediis, eadem habent omnia a principiis usque in fines. Quæcumque igitur in hoc Psalmo centesimo-septimo aliquantulum aliter posita sunt, quam in illis duobus, ex quorum partibus constat, non habent intellectum difficilem: sicut in quinquagesimo-

¹ Psal. lvi, 12. — ² Id. cvii, 6. — ³ Id. cxiii et cxxxiv, 15.

sexto dicitur: « Cantabo et psallam, exurge gloria mea¹: » in isto autem, « Cantabo et psallam in gloria mea². » Ad hoc enim dictum est illic: « Exurge, » ut in illa cantaretur et psalleretur. Item ibi, « Quoniam magnificata est usque » ad cœlos misericordia tua³; » vel, sicut alii interpretati sunt, « Elevata est: » hic autem, « Quoniam magna » est super cœlos misericordia tua⁴. » Ideo enim magnificata est usque ad cœlos, ut magna sit in cœlis; hoc enim voluit dicere: « Super cœlos. » Item in quinquagesimo-nono, « Lætabor, et dividam Sichimam⁵: » hic autem, « Exal- » tabor, et dividam Sichimam⁶. » Ubi ostenditur quod de dividenda Sichima significatum est, post Domini exaltationem prædictum futurum, et illam lætitiâ ad hanc exaltationem pertinere; ut ideo lætetur, quia exaltatur. Unde alibi dicit: « Convertisti luctum meum in gaudium mihi, » conscidisti saccum meum, et accinxisti me lætitiâ⁷. » Item ibi, « Et Ephræm fortitudo capitis mei⁸: » hic autem, « Et Ephræm susceptio capitis mei⁹. » Suscipiendo enim fit fortitudo, id est, suscipiendo fortes facit, fructificans in nobis: interpretatur enim Ephræm, Fructificatio. Susceptio autem ad utrumque referri potest, sive cum suscipimus Christum, sive cum ipse nos suscipit, qui est caput Ecclesiæ. Et quod ibi ait: « Tribulantes nos¹⁰; » hic autem, « Inimicos nostros¹¹: » utique iidem ipsi sunt.

II. Admonemur sane isto Psalmo, eos titulos qui tanquam de historia positi sunt, rectissime fieri ut secundum prophetiam intelligamus, secundum quod videmus Psalmos esse conscriptos. Quid enim tam diversum secundum historiam, quam id quod est in titulo quinquagesimi-sexti,

¹ Psal. lvi, 8. — ² Id. cvii, 2. — ³ Id. lvi, 11. — ⁴ Id. cvii, 5. — ⁵ Id. lxx, 8. — ⁶ Id. cvii, 8. — ⁷ Id. xxix, 12. — ⁸ Id. lxx, 9. — ⁹ Id. cvii, 9. — ¹⁰ Id. lxx, 14. — ¹¹ Id. cvii, 14.

« In finem, ne corrumpas, ipsi David, in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saül in speluncam : » et in titulo quinquagesimi-noni : « In finem, his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem, ipsi David, in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam, Syriam, et Syriam Sobal, et convertit Joab, et percussit in valle Salinarum duodecim millia? » Nam præter id quod positum est, « In tituli inscriptionem, » et « Ipsi David, » et « In finem ; » cætera ita diversa sunt, ut ille habeat humilitatem David, iste fortitudinem ; ille fugam, iste victorias. Et tamen ex istorum duorum posterioribus partibus, quorum tam diversi tituli sunt, Psalmus iste componitur. Ubi significatur ad unum aliquid concurrere utrumque, non superficie historiæ, sed altitudine prophetiæ, copulatis utriusque finibus in hoc uno ; cujus est titulus, « Canticum Psalmi ipsi David¹ ; » neutro illi titulo similis, præter quod hic etiam positum est, « Ipsi David. » Quoniam multis partibus et multis modis, sicut ad Hebræos Epistola loquitur, olim Deus locutus est Patribus per Prophetas² : eum tamen locutus est, quem misit postea, ut complerentur eloquia Prophetarum. « Quotquot enim » promissiones Dei, in illo Etiam³. »

¹ Psal. cVII, 7. — ² Hebr. I, I. — ³ 2 Cor. I, 20.

ENARRATIO

IN PSALMUM CVIII.

I. PSALMUM istum de Christo habere prophetiam, quis Actus Apostolorum fideliter legit, agnoscit ; ubi de Christi traditore Juda prophetatum esse quod hic scriptum est : « Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus » accipiat alter¹, » quando Matthias in locum Judæ ordinatus, numero Apostolorum duodecimus adjunctus est², evidenter apparet. Sed si de illo uno homine omnia quæ hic in malo dicta sunt intelligere conemur, expositionis ratio non omni modo, aut vix valebit occurrere : si autem de tali genere hominum malorum, id est, inimicorum Christi ingratorumque Judæorum, omnia mihi videntur posse clarius aperiri. Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in Discipulis habuit ; sicuti est, « Tibi dabo claves regni cælorum³, » et si qua hujusmodi : ita Judas personam quodam modo sustinet inimicorum Christi Judæorum, qui et tunc oderant Christum, et nunc per successionem perseverante genere ipsius impietatis oderunt. De quibus hominibus et de quo populo possunt non inconvenienter intelligi, non solum ea quæ apertius de ipsis in hoc Psalmo legimus, verumetiam illa quæ proprie de ipso Juda dicuntur expressius : sicuti

¹ Psal. cVIII, 8. — ² Act. I, 15 et 26. — ³ Matth. xvi, 19.